TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE DE RHEUMATISMO ACUTO,

QUOD

FAVENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate RECTORIS MAGNIFICI,

DIDERICI VAN DER KEMP,

S. S. THEOLOG. DOCT. ET HISTORIAE ECCLESIASTICAE IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA PROFESSORIS ORDINARII, UT ET V. D. IN EADEM URBE MINISTRI.

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu*, & *Nobilissimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis, ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

HENRICUS MACNEALE KENNEDY,

HIBERNUS.

SOCIET. MEDIC. PHYSIC. EDINENS. SODAL.

Ad diem XI. *Augusti* MDCCLXXV. *Hora Decima* L. S.



LUGDUNI BATAVORUM,

APUD P. VAN DER EYK ET D. VYGH, 1775.

Ornari res ipsa negat, contenta doceri.

AMICIS VERIS, ORNATISSIMIS, PERHUMANIS;

VIRIS EX PIETATE, INGENII FULGORE, MORUM ELEGANTIA, DOCTRINA, ÆSTIMATIS;

PATRICIO SIMSON,

AVO SUO HONORATO, DILECTISSIMO, ELOQUIORUM DIVINORUM INTERPRETI OLIM ACCURATO, ET JUXTA DUNKERANUM IN COMITATU LUGENSI IN HIBERNIA, NUNC VITAM PRIVATIM AGENTI;

NEC NON

DAVIDIO MACBRIDE,

ARMIGERO, MEDICINÆ PRÆCLARO ILLI DECORI, ARTEMQUE SALUTIFERAM APUD EBLANAM AUSPICATO EXERCENTI.

AMICITIA HUIC, NATURA ILLO DEVINCTISSIMUS,

H. M. K.

Felicitatem.

Insequentem Dissertationem vobis dicare ausus sum; vestra tamen comitate haud parum fretus, & cum ita sit, me togam liberam *necdum induisse. Multa tam commoda quam utilia humanitati vestræ debeo. Favete igitur operi huic tenello; Favete etiam auctori, in patrocinio vestro speranti; qui & molimina suscitantis se ingenii perbenigne sustentare soletis. Vivete felices, viri spectatissimi, valetudinem firmam, illibatam diu conservetis.*

Tentamen hoc juvenile, ut grati ac memoris animi signum, summa cum observantia vobis sacrum esse voluit.

AUCTOR.

Dabam Lugduni Batavorum die x. *Augusti*

CIƆIƆCCLXXV.



TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE DE RHEUMATISMO ACUTO.



PROOEMIUM.



n ipſo hujus diſſertationis objecto eligendo, per aliquod temporis ſpatium dubii hæſimus, cum in animo nobis eſſet hiſtoriam quandam morbi eligere, qui non tantam ac accuratam inveſtigationem requirens, tenuiſſimis noſtris viribus melius conveniret. Nec quin inveniremus, dubitavimus, qunm tantus morborum exiſtat numerus. Omne temporis puuctum malis ſtipatur, quæ nulla humanæ prudentiæ acies praevidere valet: & quaelibet ætas, ſe-

xus & temperamentum ſibi proprios habet morbos ad quos evitandos hominum vires non ſufficiunt. Nec tanta, nec tam ſubita aeris eſt mutatio, quam acumen malorum, quibus morbus & dura mortis neceſſitas ab incunabulis, ad tumulum usque humanum genus excruciant. Crudelis ille humani nominis inimicus, quavis hora triſtia nobis adfert nuncia, quorum forteſumma, per caræ parentis, vel dilecti amici obitum agraveſcit.

Argumentationum hypotheticarum vanitatem nullus morbus clarius evincit, quam ille, in quem hic commentari in nosmet ſuscepimus. Variæ enim concinnatæ fuere hujus morbi theoriae, quarum vero nulla, temporis aut experimenti confirmata ſtetit teſtimoniis: nec ex iis ingenioſiſſima quidem, ad praxin medicam illuſtrandam contulit, ad quam, ſi applicari nequeant, quis harum eſt uſus, quis denique fructus? Hæc vero non de rheumatismo ſolummodo valent, ſed, ſi locus permitteret, de plerisque morbis, quibus genus humanum miſere premitur, eadem hic poſſent prædicari— Ex illis quidem perpauci ſunt, in quorum phænominis explicandis, Viri celeberrimi non ingenium mire exercuerunt, quorum vero conatus, pauciſſimis exceptis, artis medendi progreſſum potius retardarunt, quam promoverunt. Certiſſima hujus rei in hiſtoria Medicinæ exſtant teſtimonia. Interim fatendum tamen eſt, hanc ſcientiarum partem non tam univerſali ac indefeſſo ſtudio excultam fuiſſe, ac illius, qua reliqua vincit ſcientiarum genera, ſuperior utilitas meretur: ſic ut ipſis his temporibus computatione eorum facta, quæ in Medicina adhuc ſunt deſideranda, verear, ne in

in tantum excrescant catalogum, ut vix nobis locus daretur, de iis gloriandi, quæ certis stabilita remanerent fundamentis. Status tunc Medicinæ, quem proposuimus, si verus sit, quam dura est necessitas eorum, qui ardua Academiæ lege constricti, nulla propriæ doctrinæ aut voluntatis ratione habita, scriptis in publicum prodire coguntur, antequam tempore maturuit judicium, & propria experientia, ea confirmavit præcepta, quæ tam speciosis argumentis exornata in scholis medicis proponuntur. Jubente vero lege, nostrum est, ut morem geramus. His igitur ptæceptis & nos legitime obtemperantes, insequentem commentarium in morbum, qui frequentissime in illarum insularum occidentalium (Brittanniæ & Hiberniæ) incolas sævit, examini ingeniosi practici summa cum humillitate submittimus, cui solummodo judicare convenit, quantum cum vero conveniat, & quam idcirco mereatur laudem.

Accuratas morborum referre historias, studium maximopere commendandum esse, quis dubitat? cum in eo solo fundamento Medicinæ incrementum nititur; Nihilominus tamen pauci huic studio operam dederunt, & pauciorum adhuc felix eventus coronavit tentamina. Maxima Medicorum turba, ne cogitare quidem dignatur jure hanc rem ab omnibus iis expectari, in quorum potestate posita est: & recte ab iis dici posset, quod oculis non videant, nec auribus audiant. Quomodo igitur hæc res est perficienda? Quorsum, quaeso, petendæ sunt morborum illæ historiæ? An proprio studio in conclavi, an potius frequenter

affidendo lectis ægrotantium colligendæ? An ab iis, qui ad gradum capeffendum fefe accingunt, an a practico, cui multos morbos videndi occafio facta fuit, exfpectandæ? In aprico patet refponfum: nec ideo plerumque novi aliquid ex differtationibus inauguralibus exfpectatur.

HISTORIA MORBI.

Nulla hujus morbi defcriptio in veterum fcriptis exftat, cujus rei caufa non ex neglecto obfervationis ftudio, fed ex morbi natura eft derivanda, quippe qui rariffime fub cœlo calidiore occurrit. Iis enim fufficiebat accurate eos defcribere morbos, qui illorum obfervationibus obvii veniebant, & in quibus producendis non intemperantia in vitæ regimine, fed mores inculti potius erant accufandi, & ideo nec numero pauci nec natura fimplices exftitebant. —— Natura enim eft ftatus hoftilitatis. Quum vero Rheumatismi nomen primum morborum intravit catalogum, morbus hic non ab Arthritide diftinguebatur, & ambo hi termini promifcue in ufu erant ad acutum in articulis dolorem fignificandum. Cœlius Aurelianus (*a*), Trallianus (*b*), Aretæus (*c*), Rheumatismi vocabulo haud raro utebantur; fatis tamen patet, illos Podagram inter & Rheumatismum non diftinxiffe. Ballonius (*d*) primus fuit, qui peculiarem de Rheumatismo tractatum confcripfit, in quo, vetuftam curandi metho-

(*a*) Morbor. acutor. Lib. II. p. 139.
(*b*) Lib. XI. Cap. I. pag. 599.
(*c*) De Cauf. & fig. morb. diut. Lib. II. pag. 66.
(*d*) Opera medica, de Rheumatismo.

thodum relinquens venæ ſectionem commendavit. Ex recentiorum numero Sydenham, cui tot accuratas debemus morborum hiſtorias, optimam hujus morbi dedit deſcriptionem. Primus ille duas Rheumatismi ſpecies diſtinxit, acutum nempe & chrouicum; quorum ille febre ſtipatur, hic vero ſine ea eſt.

Rheumatismus maxime graſſari ſolet in climatibus frigidioribus, & ubi Atmoſphæra valde mutabilis invenitur, & ſubitæ a calore ad frigus, & a frigore in calorem mutationes occurrunt, & in Vere & Autumno. Plerumque ſubita frigoris applicatio corpori multum calore ſuffuſo cauſa illius fit occaſionalis.

Interdum hnnc morbum antecedit ſenſus frigoris, ſed plerumque, ſic ut in aliis morbis inflammatoriis, laſſitudo, rigor & horror, agmen ducunt malorum. Hos vero mox excipit magnus partium internarum calor, anxietas, cum pulſu duro & frequente. Uno tunc alterove die præterlapſo, doloré acuto in quadam corporis parte excruciari incipit ægrotus, præcipue in articulis majoribus, genubus, humoris, carpis, qui dolores a calore lecti increſcunt. Interdum tamen, hi dolores ab ipſo morbi initio exiſtunt. Quo ægri corpus majori ſanguinis copia turget, eo gravius affligit hic morbus, & dolores tanto vehementiores ſunt, quanto febris gravior. Sæpe dolores ex uno articulo in alterum tranſeunt, & ſi graviores fuerint illum locum tumentem & inflammatum relinquunt; id vero Pringle, van Swieten, & Storck obſervantibus non ſemper obtinet. In ſummo dolorum acumine pulſus frequens eſt & parvus. Interdum dolores ſine concomitante febre

accedunt, & periodis irregularibus exacerbantur, sed æger tamen, lecto incumbens semper pejus se habet. Sæpissime primum genu afficitur, in violentissimo vero morbo nulla pars præ reliquis laborat, sed ad omnes corporis articulos morbus refertur: quæ quidem ægroti conditio miserrima jure dici meretur, cum nullum omnino motum peragere, nullius, nec linteamentorum quidem attactum perferre, valeat. Maxima in doloribus obtinet mutatio, qui sæpe ab articulis ad viscera interna transeunt. Dolores post quorundam dierum spatium in una parte diminuuntur aliasque afficiunt. Interdum in viscera abeunt, in cerebrum, pulmones & ventriculum, ibique, pro ratione loci, cui incumbunt, Phrenitidem, spirandi difficultatem cum sensu suffocationis, tussem, in omnibus vero violentum excitant dolorem: historiam inconstantiæ dolorum & satis quidem singularem egregius refert Storck (*e*). Rheumatismus articulos magis afficit, quam partes musculosos, nihilotamen minus dolores sæpe musculorum tractum sequuntur; rarissime vero minora extremitatum genicula afficiunt. Sanguis e vena missus semper crustam exhibent pleuriticam, satis notabilem, præcipue in morbo paulo provectiore. Serum etiam a crassamento subinde per 4 aut 5 horas non secedit, secessum vero, paucum & crassum est; observatum etiam fuit, id virgula elevatum fila aliquando exhibuisse. Alvus plerumque obstructa est, urina pro maxima parte multum rubet, sed sæpe sedimentum naturale deponit: sudores lenti viscidique multoties

(*e*) Ann. medic. secund. p. 126. & seq.

toties erumpunt, sed nullam morbi remissionem inducentes: partes vero affectæ plerumque siccæ remanent, præcipue eo sudore artis ope evocato. Nec tamen animus in ægrotis depressus observari solet. Febris duratio incerta est, interdum enim remittit, simulac dolor in aliquem articulum sese defixerit. Morbus aliquando sine evidente observata crisi evanescit, sæpe universali erumpente sudore solvitur, aut remittit, qui alio tamen tempore ne minimum quidem mali levamen inducit. Interdum quoque morbi solutio, vel saltem remissio observata fuit ex hæmorrhogia spontanea, vel copiosa urinæ excretione cum sedimento albido crasso, rarius ex Diarrhæa. Nunquam in suppurationem, raro in Gangrænam abit hic morbus; interdum tamen effusiones fiunt serosæ eo loco, quo maxima morbi vis efferbuit. In ægro, in quo hujusce generis materies intra scapulas colligebatur, fiebat tumor, qui magnitudine caput virile excessit, & quo aperto novem libræ seri flavi viscidi affluxerunt. (*f*) Boerhaave quidem dolores rheumaticos periodicos observare itus & reditus contendit; (*g*) qua tamen in re veteres nimis secutum fuisse videtur, qui hunc morbum cum Arthritide confundebant, cujus morbi fixi periodi neminem fugiunt. Inde & van Swieten hanc refellit Opinionem. Cessante febre dolores interdum exacerbescunt, & iis tunc longius durantibus morbus fit chronicus. Qui si quodam in articulo fixi remaneant, membrum omni orbatur motu, & incurabilis interdum consequitur Anchylosis.

DEFI-

(*f*) Ann. Medic. Secund. p. 117.
(*g*) Aphor. 1491.

DEFINITIO.

Ex morbi hujus hucusque tradita historia facillime apparebit, quo jure ingeniosissimi Cullen definitionem, nostram fecimus, his verbis expressam. „ Morbus ab „ externa & plerumque evidente causa: pyrexia; do- „ lor circa articulos, musculorum tractum sequens, „ genua & reliquos majores, potius quam pedum vel „ manuum articulos, infestans. (*b*)

DIAGNOSIS.

Morbum hunc ab aliis distinguere, cum quibus propius convenit, quanquam sæpe difficile, opus tamen est quam maxime necessarium. A Scorbuto, Syphilitide, & Arthritide, vero, quippe quæ similibus sæpe stipantur, præ reliquis, ut Rheumatismum internoscamus, necesse nobis visum est. A *Scorbuto.* In hoc quidem morbo frequenter occurrunt dolores in variis corporis partibus, ut in ventriculo, genubus, & pectore; dolores tamen Rheumatismi acuti facillime ab iis distinguuntur. Nulla enim in scorbuto adest febris, sed potius varia putredinis indicia, quæ ex gingivis putridis, & ex levissima irritatione sanguinem fundentibus, exspiratione fætida, lividis in cute maculis, & ex hæmorragiis in variis corporis partibus apparent. A *Syphilitide.* Ab hoc quoque morbo Rheumatismus distinguitur ex symptomatibus concomitantibus. Syphilis enim pro maxima parte, a coitu impuro derivanda, ulcusculis semper stipa-

tur,

(*b*) Synops. Nosolog.

tur, primum circa genitalia, dein vero in aliis quoque partibus, ut in naribus & faucibus, colore rubicundo livido indutis. Verum enim vero, dolores venerei, quia sæpe remaneant vel recurrant, postquam venereum virus ferme expulsum e corpore, vel correctum est, hic observari juvabit, eos raro nisi nocturno tempore sævire, vel saltem hoc tempore exacerbescere, interdum quadam concomitante febre; in Rheumatismo vero acuto febris & dolores plerumque semper adsunt. In priori quoque casu dolores, osteocopi dicti, non semper ad articulos referuntur; nec unquam tumorem aut inflammationem inducunt.

Omnium vero difficillimum est Rheumatismum inter & Arthritidem distinguere, quod, ut rite fiat, requiritur, ut quædam symptomata & res circumstantes, quas quisque morbus sibi proprias habet, inter se conferantur, ex quibus quasdam hic proponamus 1°. Rheumatismus, ut ex historia morbi patuit, majores afficit articulos, doloresque translatione sæpe in aliam abeunt partem. Arthritis vero, quanquam interdum afficiat genua, id tamen in morbo inveterato tantum occurrit, victis jam magis naturæ viribis: pro maxina enim parte ad articulos minores extremitatum, pollicem pedis, manus &c. refertur, doloresque magis fixi ibidem insident. 2°. Rheumatismus a causis quibusdam occasionalibus evidentibus inducitur, ex quibus applicatio frigoris corpori nimis calefacto primum locum meretur. Arthritis vero morbus est totius systematis a causis internis occultis oriundus, quæ solummodo a causis occasionalibus excitantur, ad quas præcipue

peculiaris vivendi ratio pertinet. 3°. Rheumatismus ſicut omnes alii morbi inflammatorii ingruit horrore, inſequente magno calore & pulſu frequente. Arthritidem vero plerumque præcedunt affectiones ventriculi & canalis inteſtinorum, & languor. 4°. Omnium frequentiſſime juvenes afficit Rheumatismus, & ſæpe ſemel tantum per totam vitam, neque diu inhæreſcit, ſed ſanationem promptam plerumque admittit; Arthritis vero rariſſime ante trigeſimum quintum vel ſextum ætatis annum invadit, ſtatis periodis redit, difficillimeque ſi unquam curatur; ſed ut ſenſum claudam verbo, quam minime contemnendo, Rheumatismus cum Arthritide ſæpenumero connexus invenitur, & ſic diagnoſin omnino deludit.

CAUSÆ MORBI.

Seminia morbi. Qui ſemel Rheumatismo laborarunt, facilius iterum ab eo afficiuntur. Juventus, vita ſedentaria, luxurioſa vivendi ratio, temperamentum ſanguineum, ſexus maſculinus, plethora, & omnia, quæ multum corpus debilitant, magis aptum illud ad ſeminia hujus morbi recipienda reddunt. Inde prægreſſæ quoque in vitæ ratione intemperantia, magnæ evacuationes, nimium calida temperies, ſtudium, helluationes & caſtra veneris ad hunc morbum prædisponunt. Idem faciunt cœlum frigidum, ſtatus atmoſpæræ valde mutabilis, ſubitæ caloris ac frigoris viciſſitudines, in ædificiis humidis & recenter exſtructis commoratio, ver & autumnus, & retropulſæ denique eruptiones cutaneæ.

Po-

Potestates nocentes. Inter has præ reliquis frigoris applicatio corpori nimis calefacto, & interdum quoque subitus frigidæ tempestatis in calidam transitus, recenseri merentur. In accuratissima morborum epidemicorum insulæ Minorcæ egregius Cleghorn nullam mentionem Rheumatismi fecit. Hillary quidem in Barbadis hunc morbum, sed multo rarius quam in Brittannia occurrere memorat. Quæ cum ita sint, & nos simul in mentem revocemus, hunc morbum ex iisdem causis prædisponentibus & occasionalibus oriri, ac reliquæ Phlegmasiæ, præcipue, quæ pulmones afficiunt, inflammationes, satis frequenter in regionibus his calidioribus occurrunt; difficillimum omnino erit explicatu, quare Rheumatismus in regionibus frigidioribus solis grassari consueverit. Amicus quidam, hujus rei explicationem nobiscum communicavit, quam pace illius candido lectori proponam. Verosimillimum est, inquit, quandam hujus facti explicationem derivari posse ex meditatione illius historiæ naturalis partis, quæ naturam harum regionum & tempestatum sistit, in quibus hic morbus omnium maxime prævalet. Hæ enim, experientia duce, sunt, quæ frequentissimis & maxime subitaneis aëris vicissitudinibus exponuntur. Vere nimirum & autumno, quibus anni temporibus Atmosphæræ mutationes æque magnæ ac subitæ observantur. Superiorem vim, quam potentiæ nocentes in corpus humanum exserunt, si subito illi applicentur, nemo dubitat; cum paulatim ex habitu ipsa venena mansuescere, pateat, & corpus ea sic tandem impune ferat, quæ alio modo ap-

 pli-

plicata præsentem interitum induxissent. Quæ si valeat Analogia, tota res patebit. In tempestatibus enim frigidioribus aliarum regionum, hæ solummodo enim, veras phlegmasias producere valent, frigus tam gradatim incipit, & semel inceptum vix levissimis interpositis mutationibus, per longum tempus continuat, ut non magnum in systema animale effectum dare, nec, quia in vascula extrema, ut ita dicam, ex improviso irruere non potest, illa eo modo afficere possit, ut nascatur inde status ille vasorum, qui ad inflammationem ibidem producendam sufficiat. Nihilominus tamen continua inde nata vasorum superficiei constrictio tantæ ad viscera interna determinationis in caussa esse potest, ut ea nascatur distensio, quæ plegmasiam in iis accendere par sit. Sed hactenus theoriis indulsisse sufficiat.

CAUSA PROXIMA.

Plerorumque morborum causæ proximæ profundis adhuc tenebris involutæ latent, cujus quidem ratio satis evidenter patet, quum quarundam ex præcipuis functionibus œconomiæ animalis, rationes, vel penitus ignoremus, vel ex parte cognoscamus, vel conjectura assequi cogimur. Si vero causas earum rerum, quæ per sanitatem in corpore humano eveniunt, ignoremus, quomodo, quæso, earum, quæ per morbum fiunt rationem reddemus? Morborum, eorumque symptomatum causas explicandi studium, relicta veræ experientiæ norma, non in artem medendi solum, sed

in

in totum genus humanum innumera cumulavit mala. Quot ſtrages, indigeſtæ Medicorum theoriæ in omni ævo fecerunt? An conamina hæcce, imbecillitatis humanæ ſolummodo monumenta habenda ſunt! An ſola Medicorum ignorantia poteſt accuſari? —— Ne vero quis credat me nimis imprudenter hæc affirmaſſe, pace lectoris, ex innumeris, unum alterumve factum hiſtoricum proferam, quæ ſic ea, quæ aſſerui confirmabunt, ut nullum penitus ſuperſit dubium.

Anno CIↃIↃCLXIX. febris putrida peſſimi moris in hac civitate Leydæ graſſata eſt. Petechiæ, urina fætida, hæmorrhagiæ ex variis corporis partibus hujus febris ſymptomata fuere. Franciscus Sylvius hoc tempore hic medicinam exercens, ex cathedra morbi epidemici cauſam aciditatem in ſanguine eſſe pronunciavit. Inde & curandi methodus præconceptæ huic opinioni reſpondit: Abſorbentia teſtacea, alcalia volatilia, & alia antacida, ſumma facta ſunt febrifuga. Sic nemo certe mirabitur, his medicamentis ſepticis aliasve noxiis adhibitis, mortiferum quotidie increviſſe morbum, & maximam incolarum partem fato occubuiſſe. Aliud factum tam clare hanc rem evincit, ut hic prætermitti non poteſt. Anno CIↃIↃXXVIII. Fracaſtorio referente, febris petechialis, aut ut tunc dicebatur, lenticularis, totam ferme infeſtavit Italiam. Tanta Medicorum de natura hujus morbi epidemici fuit controverſia, quæ, niſi tam exitioſa generi humano fuiſſet optimam dediſſet ridendi occaſionem. Nec de cauſa morbi, nec de regimine ægrotantium, nec de Medicamentorum adminiſtratione inter eos

constitit. Et quid denique inde consecutum est? Nil certe aliud, quam ut ipsis durantibus Medicorum contentionibus „ magna mortalium pars & nobilitas periérunt". Magni illi viri, si magis experientiæ confidissent, quam præconceptis opinionibus aliam penitus amplexi fuissent methodum: oculis enim magis quam opinioni credendum, dicit Hippocrates. (*i*) Ab ipso Hippocrate etiam melius edidicissent, quid in ejusmodi morbis sit faciendum; in febre maligna quodnam illius fuit regimen? „ Potus erat aqua de farina crassa in ipsa macerata, sed, & de pomis simulque mali pumici succus, & lentis torrefactæ, & farinæ loturæ cocta". (*k*)

Ipsis his diebus, postquam experimentorum & observationum numerus fundamenta posuit, quibus solida ratiocinia superstrui possint, limites excedere amamus, quibus illæ nos contrixerunt. En exemplum! Cerebrum omnis vitæ causam esse, nemo hominum ignorat, fontem etiam sensus & motus, immaterialiumque in corpore actionum organon callemus. Anne aliquid amplius ex ejus usu compertum? Imo, inquit vir, theoriarum pulchre gnarus, ex Physiologia *certissime* constat, fluidum elasticum & subtile medullosæ cerebri parti inesse; sat & verisimile est, somnum, vigilias vitamque ipsam, a quodam hujus fluidi mobilitatis statu pendere; simili ratione quod & hæc mobilitas a frigore vel calore imminuatur aut major fiat (*l*).

Cre-

(*i*) De Diæta n. 5.
(*k*) §. 7. Epidem. n. 39.
(*l*) Tentamen Medic. Inaug. de Venenis, p. 12. 13.

Credat quis possit: credo equidem omnia hæc *speciosa miracula*, velut ægri somnia, nullibi existere, inutilesque esse iis, qui philosophiam veram atque solidam persequi nituntur. Theoriarum vel systematum exstructiones, præsens medicinæ status nondum permittit, quæ igitur, si nimis sectemur, nostra praxis periculo non carebit. Objicitur quidem, paucissimos existere historiæ medicæ scriptores, qui simul proprias non intertexerint Theorias, quibus igitur nos non posse, quin sequamur. Hæc tamen mihi non cristas erigit ratiocinandi methodus; si enim hominem in uno pede claudicantem, videmus, an nos ambobus vacillare cogemur? Auctorem certe in iis imitare possumus, quæ vera ac accurata proposuit, nequaquam vero iis assentire compellamur in quibus a veritatis & accuratæ observationis tramite aberraverit. Nonnulli Medici neoterici de theoriis cum Cicerone dicere possint." „ Me vero delectat; idque „ primum ita esse velim; deinde etiamsi non sit, mi- „ hi tamen persuaderi velim." —— Ne autem Empirices incusemur, consilium nostrum fusius sed paucis proferre superest. Ratiocinationem in morborum caussis indagandis excludere non volumus, hoc enim æque ineptum ac debile foret; illam autem sequi non antecedere oportet fulgentiora lumina, quæ observationes & experimenta nobis exhibent. His præmonitis, tempus est, ut ad Rheumatismi causam immediatam redeamus, quam inflammationem membranarum & aponeurosum tendinosarum musculorum, & interdum quoque ligamentorum statuimus.

PRO-

PROGNOSIS.

Rheumatismus raro lethalis eſt morbus, & in genere magis multivariis incommodis, quam periculo ſtipatur: ſæpe vero in Rheumatismum chronicum abit, & dolores per totam ferme vitam continuant. Maximum periculum oritur ex dolorum permutatione, & illorum ad viſcera interna determinatione, quo quidem in caſu, quo majoris momenti viſcus, eo magis periculum. Celeb. Tiſſot caſum narrat robuſti viri, qui illo adveniente, jam laborabat Gangræna inteſtinorum, a Rheumatismo, qui antea brachia & alterum genu afficiebat, oriunda. Adſtantes ut dolores fugarent, applicationibus calidis & ſudoribus partialibus partes affectas exercuerunt; ſic ſudores quidem excitabant „ mais l'humeur inflammatoire ſe jet- „ ta ſur les inteſtins, l'inflammation degenera en gan- „ grene apres trente ſix heures de douleurs les plus „ aiguës, & il mourut deux heures apres que je l'eu- „ veu." (*l*)

Hiſtoriam trium ægrotorum, qui ex Rheumatismo mortui ſunt, egregius refert Storck: cadaveribus duorum inſpectis, magna copia materiei flavæ & gelatinoſæ in cavo thoracis & intra cranium inveniebatur. In tertio ægroto dolores ad pulmones translati fuere, ſequebatur reſpiratio difficillima ut & etiam tuſſis violentiſſima, quam nullis remediis ſuperari potuerit, & æger 14. dierum ſpatio, animam efflavit. In medio pul-

(*l*) Avis au Peuple ſur la ſanté. p. 119.

pulmonis cadaveris magnus apparuit ſaccus, qui libras quinque ſeri flavi, ſubacris cohibuit (*m*).

MEDENDI RATIO.

Ad partem nunc utiliſſimam, nec tamen facillimam hujus diſſertationis perventum eſt, in quam hactenus dicta introductionis proprie tantum vices explent.

Arma nunc nobis quærenda ſunt, quibus dirus hic morbus poſſit debellari: hoc ut rite fiat, duæ potiſſimum curationis conſilia formare, me judiee, convenit: 1°. *Febrem univerſalem inflammatoriam removere.* 2°. *ut Affectio topica tollatur.*

Primi conſilii ut ſcopus recte attingatur, adhibenda eſt — *Sanguinis miſſio.* Antiqui medici, cum dolores Rheumaticos & Arthriticos ab humorum frigidorum defluxione (quaſi ῥευματι) oriri contenderent, qui a cerebro defluentes, in articulos determinarentur, ab omnibus ſanguinis evacuationibus ſolicite abſtinebant, illamque in iis tantum caſibus adhibebant, in quibus morbum ex ſuperabundante humore ſanguineo (ut loqui ſolebant) ortum trahere exiſtimabant. Ballonius, ut antea notavimus, primus fuit, qui hoc remedio uſus eſt, & ab illo tempore V. S. optimum in hoc morbo habita eſt indicatum. Sydenham illius curationem non aliunde, quam a phlebotomia ſumi debere ſtatuit. Clariſſ. Pringle curationem hujus morbi perfecit, V. Sectiones ferme quotidie repetendo, donec febris & dolores vel penitus conquieverint, vel multum ſaltem remiſerint. En! ipſum audiamus. „ In

„ this

(*m*) Ann. Medic. ſecund. pag. 119.

„ this courſe we may proceed the more ſafely, as „ thoſe who are ſubject to this diſorder are generally in „ the Vigour of Life, & are either plethoric, or able „ to bear Evacuations. Add, that frequent Blee- „ dings weaken the Body leſs perhaps in this Di- „ ſeaſe than in any other (*n*)." Lieutaud & Tiſſot valde paucas tantum venæ ſectiones hoc in morbo commendant, quod mirum certe, cum nemo ſit, qui ignoret, quantum in exceſſu hujus evacuationis ſæpe peccarunt Galli. Lieutaud tertio aut quarto die poſt primam morbi invaſionem præterlapſo, a ſanguinis miſſione abſtinendum eſſe præcipit, ne morbus in longius tempus protrahatur, & 3. aut 4 venæ ſectiones ad hujus morbi curationem ſufficere exiſtimat (*o*). Hunc tamen egregium auctorem in limitando harum evacuationum numero pecaſſe nobis videtur. Frequentes ſanguinis miſſiones plerumque reprehendi, nos quidem non fugit, & praxin Doctoris Pringle, quum tam frequenter venam incidi jubet, a multis in ſolis tantum caſtris adhiberi poſſe, judicari. Hac tamen re ſerius perpenſa, ut ego quidem opinor, in ſola venæ ſectione remedium morbi tam pertinacis poſitum eſſe, inveniemus. Omnia alia Phlegmaſiarum genera, medicamenta alia applicari ſinunt, quorum uſus ferme æquali loco cum phlebotomia poni meretur, cujus generis ſunt, Veſicatoria, Fomentationes, Sanguinis miſſiones topicæ &c. nulla temporis aut loci ratione habita; in Rheumatiſmo vero, illorum uſus certis tantum

(*n*) Pringle's Obſervations, pag. 157.
(*o*) Synopſis praxeos Medicæ, pag. 87.

tum morbi ſtadiis, valet. Nullum igitur relictum nobis eſt remedium, cujus tam late pateat uſus, & quod tantum ad febrem & dolores mitigandos valeat, præter hanc evacuationem. Nec jure hic objici poteſt, dari certos corporis habitus (ἰδιοσυγκρασίας vocant, quæ, ut illuſtriſſ. Gaubius notat, „ per generalia inexpli-
„ cabiles, ſola experientia aut ægri relatu cognoſcun-
„ cuntur (*p*),") in quibus morbus v. ſectioni non cedat. Ii enim forte ſunt, qui nunquam hanc Evacuationem ferunt, & valde probabile eſt in illis, aliorum remediorum ope, facile morbum ſuperari poſſe. Sed & alia adhuc eſt objectio, quæ magnam ſpeciem præ ſe fert — per nimium frequentes nempe ſanguinis miſſiones, corpus ad morbi reditum prædiſponi. Nec nos idem inficias ire poſſumus, quippe qui nosmet ipſi omnes nimias evacuationes inter cauſas prædiſponentes recenſuimus; ſed nemo unquam, me judice, præſentis mali excruciatus perferet, quia in eo removendo aliud *forte* ſupervenire poſſit. Et quis humani ſanguinis tam avidus erit Medicus, ut v. ſectionem præſcribat, niſi febris, aut dolorum acuta vis id requirant; multo autem mihi crudelius videtur, permittere, ut doloribus excrucietur æger, quorum in noſtra poteſtate poſitum eſt lenimen: præſertim cum prudenti regimine multum ad morbi reditum præcavendum valeamus.

Regimen antiphlogiſticum. In omnibus, vel univerſalibus, vel topicis inflammationibus, unamquamque irritationem morbum augere patet: leniſſimum re-

(*p*) De Formul. Medicament. pag. 21.

regimen igitur summo jure commendatur. Sed quid multis? Cum Sydenhamiani descriptione regiminis, quo in hoc morbo uti conveniat, nihil melius, nihil accuratius. „ Diætam quod spectat, inquit sedu-„ lissimus ille Medicus, carnibus prorsus interdico, „ quin & eorum jusculo, quantumlibet tenui limpi-„ doque; quibus substituo Juscula Hordeacea, Ave-„ nacea, Panatellam, & ejusmodi. Cerevisiam tenuem „ mitemque pro potu tantum concedo; vel etiam „ (quæ magis ad rem facit) Ptysanam ex hordeo, rad. „ Liquirit. Acetosæ &c. in aqua fontana incoctis. „ Volo interim, ut per aliquot horas singulis diebus „ lecto se abstineat, cum calor, quia jugi decubitu, „ morbum promoveat, intendatque." (r) In eo tamen quod postremo loco posuit, pace summi viri, dissentiri cogimur. Magis enim cum natura morbi convenit, ægrotum, paucis tantum stragulis tectum, in lecto retinere, quam ex eodem removere: nam minor systemati inde applicatur irritatio. Purgantia etiam, quæ in regiminis antiphlogistici parte recensemus, ab Auctoribus in hoc morbo laudata sunt. Tissot Rheumatismi speciem interdum afficere homines vidit, quorum temperamentum, nec sanguineum observatur, nec ipsi ad inflammationes prædispositi, & inde addit: „ La saignée est moins necessaire pour eux, „ quoique la fievre soit tres forte; mais il faut plus de „ purgatifs, & apres qu'ils sont evacués, de vesicatoi-„ res, qui solagent souvent dés-qu'ils commencent à „ agir."

(r) In capite de Rheumatismo p. 171.

„ agir." (r) Illuſtriſſ. Baro van Swieten Rheumatismum gravem per diarrhæam ſpontaneam multum remiſiſſe vidit. (s) Hoffmannus excellentiſſ. etiam laxantia in hoc morbo commendat. (t) Vir tamen magni nominis in Medicina, alvum exonerandi conatus, irritando ſyſtema potius nocivos exiſtimat. Ex Auctoritatibus vero egregiis jam jam memoratis ſatis evidenter patet laxantia ad hujus morbi curationem multum conferre. Facta, theoriæ nunquam concedent: & nullum mihi remanſit dubium, laxantibus & enematibus adhibitis, multo majorem corrigi irritationem, quæ a fæcibus acribus in inteſtinorum canali accumulatis, non poſſet, quin oriatur.

Medicamenta diaphoretica. In Rheumatismi acuti principio, ſudores vi evocati, & febrem & dolores augent. Pringle camphoram dedit, ut lenem in cute vaporem excitaret, ſed tam parca doſi uſus eſt, ut vix ullus inde effectus exſpectari poſſit. Melius vinum antimoniale cum quarta parta Tinct. thebaicæ ex vehiculo quodam calido exhibuit Monro. Brocklesby immediate poſt primam v. ſectionem, Nitrum propinare incepit: hujus, ægrotis ſuis præſcripſit drachmas duas ex copia potus diluentis. Sed & copia liquorum diluentium, & ipſius nitri, cujus ſæpe drachmas decem ſpatio unius diei exhibuit, tanta fuit, quantam nulla, niſi dura militum ilia, perferre potuerunt: Nec natura hujus morbi tantam requirit dilutionem. Per aliquod tempus medicamentum quoddam

(r) Avis au Peuple ſur la ſanté, pag. 200.
(s) Comment. in Aph. Boerhaave Tom. v. p. 667.
(t) Medic. rational. ſyſtem. Tom. IV. p. 322.

dam Edinburgi celebratum fuit; ad copiosos evocandos sudores, & celeriorem morbi curationem perficiendam. Pulvis dicitur Doveri, cujus Opium & Ipecacoanha basin constituit, & additis quibusdam salibis neutris moles augetur (*t*). Non a proposito nostro alienum erit, methodum hic proponere, qua Præceptor meus egregius, D. Cullen, medicamentum hocce potissimum exhibere commendat. Hoc Medicamentum cæteris sudoriferis longe præstat, quod illius ope sudorem evocamus sine tanto applicato calore, ac alias requireretur. Nam opium, jam per se magna virtute sudorifica præditum, hic cum Ipecacoanha junctum est, quæ simul cum salibus neutris magis adhuc versus cutem determinat, & interdum nauseam, immo vomitum producit. Hoc remedio uti possumus, antequam febris penitus deflagraverit, & primo statim mane optime exhibendum censeo, sic ut sudor per diem protrahi possit; diurno enim tempore, optime, frequenter exhibito potu tepido, qui multum hic valet, sudor potest sustineri; & actio insuper cordis & arteriarum interdiu major est, id quod non potest, quin viribus medicamenti addat: sic & Ægroti diurno tempore melius se habere solent, quam nocturno, quo tempore morbus exa-

(*u*) R. Salis Nitr. Tart. Vitriol. singulor. Unc. quatuor in crucibulum candens injice, agitetur donec deflagratio & scintillatio desinat, & adde Opii concisi, & in pulverem redacti Unciam unam, Rad. Glycirrh. Ipecacoanhæ optime pulveratæ singulor. Unc. unam, & dein probe misceantur omnia. Dosis a gran. X. ad scrupulos duos, vel Drachmam unam.

En formulam, longam, molestam! Nonne simplex tritura Opii cum Ipecacoanha eosdem præstaret effectus?

exacerbescere consuevit. Reponatur vero ægrotus inter pannos laneos, illi enim melius quam linei, humorem imbibunt: & linteamina insuper madefacta, paulum tantum a corpore remota, facile frigescunt, & sic corpori iterum applicata, totam remedii perturbant operationem. Ipse pulvis, in forma boli, libo tectus, exhibeatur ne in ipso deglutiendo nauseam excitet; & ut vomitus præcaveatur nihil amplius liquidi concedendum est, quam, quod ad pulverem e faucibus eluendum sufficiat; deinde etiam nata nausea, multum juvat si æger a potu cohibeatur, donec aliquod sudoris in fronte erumpere incipiat, aut sensus quidam caloris candentis percipiatur. Tunc potus diluens calidus, addito forte paulum Sp. Cornu cervi aut vini, potius frequenter per intervalla, quam copiose simul exhibendus est. Si vero sudor non æquabiliter per totum corpus diffundatur; pedes enim sæpius penitus sicci remanent, reliquis corporis partibus multo sudore madentibus, qui sudores sine fructu protrahi solent; itaque in pedibus evocari debent, vel plurimis stragulis eos tegendo, vel potu calido leniter stimulante exhibendo, vel lagenas, aqua calida repletas, aut lateres calefactos iis supponendo. Sin vero magnus requiratur calor externus, & calore valde excandescat ægrotus, magna cum siti & anxietate, nec sudore interim libere prorumpente, non sine periculo vi quasi sudorem expellere conabimus; desistendum igitur est, & nonnullis tegumentis remotis, ægrotus recreandus. Si vero ex votis, sudor libere proveniat, per duodecim horas saltem protrahi debet, nisi, id quod melius per 24. fieri possit; nec immo per 48. horas modice continuatus,

tus, noceret. Panni lanei durante ſudore impune poſſunt mutari; ſed ſudore ad finem perducto, per 12. aut 24. horarum ſpatium, in lecto ut remaneat ægrotus, neceſſe eſt, ut omnem frigoris applicationem & novum inde morbi impetum corpori caveat. In morbo vero valde refractorio alia pulveris doſis vespertino tempore exhibenda erit, ut eo melius ſudor protrahatur. Morbo & jam profligato, induſium ex lana confectum, ad reditum nimis promptum hujus morbi præcavendum, per aliquod tempus maximo cum fructu utendum foret.

Secundum, quod propoſuimus, conſilium, ut impleatur, & quibus remediis utimur, nunc paucis addendum eſt. *Fomentationes* in hoc morbo Sydenham, Tiſſot & Lieutaud multo ocyus præſcripſerunt, ac nunc commendari ſolent. Et in genere, morbo adhuc vigente dolores, quatenus inveni, hæ reddunt graviores; remota vero diatheſi phlogiſtica univerſali, & morbo cuidam loco præ reliquis inſidente, magno cum fructu poſſunt adhiberi. In quibusdam caſibus balneum calidum: in paucis aliis frigidum, dolores ſuperavit, qui rebelles omnem medicamentorum internorum applicationem contempſerant; clariſſ. tamen Monro lubenter concedimus, balnei frigidi applicationem, ſi febris nondum ſubacta fuerit, morbum in pejus vertere. Hoc remedio melius uti convenit in Rheumatismo, qui in morbum chronicum abire minatur. —— *ſanguinis miſſiones topicæ*, quamdiu ſyſtemati inhæreſcit febris univerſalis nullum locum habent; ſi enim cuidam parte applicentur, dolores, natura mutabiles, paulo poſt ad alium articulum transeunt,

tint, & ſic non ullum commodum admittunt. Si vero diatheſi phlogiſtica, frequenter venam ſecando, pro maxima parte remota, dolores remanerent; & ſi ii cuidem parti fixi inſideant, cum tumore præſertim & rubore ſtipati: tunc tandem ſanguinis miſſiones topicæ maximo cum fructu adhibentur, & ne morbus in ſpeciem chronicam abeat, cavent. In illis etiam hoc morbo laborantibus, quos imbecillis corporis habitus ſenilisque forte ætas opprimit, rariſſime etſi id accidat, & quoniam ex detractione ſanguinis generali plus noxæ quam auxilii illis conſecuti fuerint, ab evacuationibus topicis maxima compendia putamus. Magno cum ægrotantium levamine ſanguiſugis uſus eſt Pringle, easque ſimulac tumor in quadam parte apparuit, applicavit, ſanguinem etiam libere effluere permiſit, donec per ſe ſiſteretur. Nec cucurbitularum cruentarum & ſcarificationum uſus hic contemnendus eſt. Illæ tamen omnibus æque partibus non poſſunt applicari, & in illarum inde loco hirudines adhibeantur, quarum omnis numerus, a ſexto ad duodecimum usque poteſt concedi. —— *Opiata.* Summos dolores, quibus ægrotantes in hoc morbo excruciantur, ſi animo perpendimus, maximopere eſſet in votis, ut Anodynis impune uti nobis liceret: hic tamen Eheu! morbi natura nos ab iis abſtinere jubet, jubet & auctorum conſenſus. Sydenham, magnus ille Anodynorum patronus, jam olim obſervavit, Opiatorum uſum morbum hunc magis defigere, & quin v. ſectionibus dein tam facile cedat impedire, & in hac re magna Medicorum turba, ut Hoffmannus, Van Swieten, Pringle, Macbride, Stork,

Lieutaud, Tiſſot, eum auctorem ſecuti ſunt. Peſſima ſedantis hujus remedii effecta præcipue obſervantur ſi dolorum aut febris exacerbatione exhibentur; Nec opiata topice utenda ſunt, affectiones enim paralyticas ſic inducere, bene cognitum eſt. Fugata vel remittente tamen febre, doloribus nihilominus pertinacius remanentibus, illorum uſus haudquaquam contemnendus nobis videtur. Relatum mihi fuit ab A. Stevenſon M. D. & Med. Profeſſore Glasguenſi, viro egregio, & pro certo fide digniſſimo, quod opium magnis doſibus in hoc morbo, ſicut aliis phlegmaſiis præſtantes habuit effectus, & ut mea memoria eſt, opii ad grana quatuor usque pro doſi exhibiti mentionem fecit. En! quoque caſus, in quibus remedii hujus exhibitio conveniat: „ ſi ex nimia „ dolorum exacerbatione tendinum ſubſultus, & „ membrorum convulſiones ortæ ſunt (quod aliquoties contigit) tunc opio, per epicraſin dato, licuit „ mitigare, ſopire" (*v*).

Veſicatoria, ſicut alia Antiſpasmodica, ut terminis utar, qui nunc a multis in Medicina adhibentur, ſi premature applicantur, dolores & inflammationem augent. Remiſſa tamen febris vi, mala ulla ſymptomata ab eorum uſu nunquam obſervavit Stork; epidermide enim vix adhuc elevata, dolores vel omnino ceſſabant, vel ſaltem multo imminuebantur; Epiſpaſtica etiam multum ad Rheumatismum chronicum prævertendum commendari merentur. —— *Corticem peruvianum*, inter indicata curatoria haberi, exiſtimamus.

Ali-

(*v*) Ann. Med. Secund. pag. 120-1.

Aliquando in hoc morbo pulſus matutino tempore a frequentia ſua remittere obſervatur, & dolores diurna luce gradatim ſic obliterantur, ut ægrotus penitus ab iis liberum ſeſe putare inducatur. Ingruente tamen veſpera in ſpe ſua ſe deluſum deprehendit—Febris enim magna cum vi recurrit, & per quasdam noctis horas dolores acutiſſimi ſentiuntur. Interdum quoque tempore matutino ſedimentum lateritium plus minus in urina deponitur; illa quidem ſedimenti ſpecies antea febribus intermittentibus propria habita fuit, ſed in omni dein genere febrium inflammatoriarum obſervata fuit circa tempus ſolutionis, & nil, niſi notabilem morbi remiſſionem indicat. Rebus tamen ita ſe habentibus, & exacerbationes & remiſſiones, ſi manifeſtæ obſervantur, non dubitamus, quin, præmiſſis, quibus opus eſt, evacuationibus, multum valeat cortic. peruviani uſus. Magnæ enim illius doſes, eo tempore, quo morbi impetus remiſerit, exhibitæ, ut paroxysmum veſpertinum intercipiant magno jure poteſt ſperari. Nec deſunt auctores & quidem magnæ nominis, qui ſuis ſuffragiis hanc opinionem confirmant: in caſibus jamjam memoratis corticis uſum multum commendat clariſſ. Macbride (*w*). Egregius alter Medicus J. Sims, refert, quod cum pulſus mollior, febriſque remiſſio levis obſervari potuiſſet, tunc corticem peruv; optimo cum fructu exhiberi juſſerit, etſi in principio ſymptomata ab ejus uſu in pejus prolabi videbantur (*x*). Nec hæc quidem res, omnem, ob quam hoc præſtantiſſimum remedium lauda-

(*w*) Theory & Practice of Phyſic. pag. 502.
(*x*) Obſervat. on Epidemic Diſord. pag. 79.

dari meretur, usum absolvit. Si enim & febris & dolorum acuta vis repetitas requirit V. sectiones, quibus adhibitis, magna systemati debilitas inducatur, necesse est, egregium illud medicamentum satis cito debitum solidis tonum & vim restituit, & prædispositionem ad morbi recursum, quæ tanta in hoc morbo observatur, tollit, eoque nomine optimis remediis prophylacticis annumerari summo jure meretur.

Sic ad umbilicum perduximus ea, de quibus proponere statueramus, sed quanta cum voluptate ii judicent, in quos idem molestum opus incubuit. In animo quidem nobis fuit, pauca addere, quæ prophylaxin morbi hujus molesti comprehenderent; re tamen hac serius perpensa, hic potius desistere putavimus, quàm inutile opus multo labore prosequi. Hæc enim temporum nostrorum est conditio, ut ejusmodi res ab omnibus ferme negligantur, si paucissimos eos exceperis, quos *æquus amavit Jupiter.* Cum Tacito etiam, quum de republica loquitur, hic dicere possemus: „ Potius alii homines quam alii mores." Inde cum Poeta:

Quid leges sine moribus
Vanæ proficiunt?

In illis quidem regionibus insularibus, Rheumatismi frequentiam situi præcipue tribuendam esse, nemo dubitat; In insulis nimirum majus non solum frigus prævalet, sed maximæ etiam in iis occurrunt tempestatum vicissitudines, quæ, quomodo Rheumatismum inducant, antea observatum fuit. Ex innumeris commodis, quæ ex aëre recipimus, nec illud minimum judicari meretur, quod in motum perductus aër li-

liberam & ſalutarem auram nobis dat ſpirandam; vel ut elegantius Poëta, quo amicitiæ vinculis mihi conjuncto, dilector, exprimit,

Th' ambient air refine,
The balefule vapor chaſe, & Fog obſcene
Lifés ſubtil Enemies, inſidious, rank,
Whoſe deep envenom'd poiſon ſoon might fill
Our lab'ring Vitals with convulſive Death.

Antequam demum operi huic finem imponam, ſupereſt, gratum animum, quo præ reliquis celeberrimos Academiæ Edinburgenſis Profeſſores, ob beneficia, quibus me exornarunt, eximia, proſequor, publice profitear. Nec ut ea, quæ digniſſimæ ſocietati Medico-phyſicæ, debeo, taceam, vetat gratitudo, vetat animi integritas. Ibi enim utile dulci optime mixtum, veritatem puram avidiſſime perſecutam & audacter ſine ſervili magnorum virorum ſectatione, aut nimio ſectarum cujuscunque generis ſtudio, defenſam videmus. Profeſſoribus tandem hujus illuſtriſſimæ Academiæ grates a me maximæ debentur, dumque memor ipſe mei illorum non, niſi ſumma cum reverentia, recordabor. Inter hos, Viros illos humaniſſ. H. D. Gaubium & G. van Doeveren, cenſeo; haud arduum eſt mente conſequi, difficillime tamen depingere, quæ, animo minime ingrato, ob amicitiam ex viris his inclytiſſimis expertam, obveniunt. Lector Benev., denique non poſſum, quin tibi congratuler, qui mecum hoc inconcinnum, nec pumice mundum opus, inſecutus es, ſed nunc finem attigiſti proprii laboris, & amici tui — Amici tui! non dubito enim, quin auctoris ſis amicus, qui in totum genus humanum amicitiam profitetur.

THESES.

I.

Theoriæ maximorum malorum fons in Medicina extitere; Nec, earum aut Systematum exstructiones præsens etiam Medicinæ status permittit.

II.

Experimenta, e converso, & observationes maximum commodum adduxerunt. Et ex horum indagationibus rite ac castissime institutis incrementum scientiæ hujus utilissimæ solummodo nititur.

III.

Sanguinis missiones in morbo jamjam tractato, palmam præ omnibus fere remediis præripiunt. Cætera antiphlogistica statis morbi periodis tantum adhiberi possunt.

IV.

Opium a multis practicis in hoc morbo non exhibetur antequam Diathesis phlogistica remota sit; A Viro autem antea laudato asseritur id magnis dosibus quam optimos edere effectus. Sed Dies doceat.

O D E

T O

HENRY MACNEALE KENNEDY,

ON ATTAINING THE SUMMIT OF MEDICAL HONOURS.

O! for Pindaric fire
T'accompany my *new-ſtrung* Lyre,
And welcome, tho' in native ſtrains
My Friend to fair Ierne's Plains!

Nor thou, Dear Youth! disdain
The friendly, heart-ſprung Strain
Which, following no pedantic Rules,
Nor idle Pomp of crabbed Schools,
In *native* Sounds, full-flowing, clear,
Expreſſes Love & Joy ſincere!

Hail, nobly-minded Youth!
Faſt Friend of open-fronted Truth!
Whoſe manly Soul rejects with Scorn
* Fair, fleeting Forms of Folly born;
Reſolv'd with reaſoning Eye to ſee
Undazzled by bright Theory,
Which ſometimes right, & ſometimes wrong,
Misleads ſequacious crouds along.

All

* See Diſſertation.

All hail! who with no venal Guile,
(Humanity, with gentle Smile,
Rejoicing by,) for no baſe End,
Thy ſelf declareſt * „ Mankind's Friend"

Nor would th' adventurous Muſe preſume
Her long-forgotten Strain t'aſſume,
And mid th' illuſtrious circle, gay,
Of learned Friends, her court to pay,
Could ſhe reſiſt the heaven-ſprung Fire,
Or charming God who tunes the Lyre.

As late in that ſweet Grove I Lay
Where we've ſo oft deceiv'd the Day,
With philoſophic converſe, mild,
Or Poeſy free flowing, wild,
Or ſerious truths, of nobler Kind,
Which purify th' exalted mind.
The Birds high-rais'd their evening Song;
The gentle Breezes ſwept along,
O'er the freſh Herbage, waving, green;
And crimſon'd Phæbus beam'd ſerene.

A ſoothing Slumber o'er my Frame
Had ſoftly crept, & dead to Fame,
Forgetting all things even to you,
(Which of all Truths ſeem'd moſt untrue,)
I Lay. When lo! the Muſe was there,
And pulling, ſoft, my curling Hair;

„ Inglorious Youth, ariſe!
„ Nor ſhame thy kindred of the Skies!
„ From that ever-blooming Grove,
„ Where deathleſs Bards, majeſtic, rove,

„ Faſt

* See Diſſertation.

„ Faſt by the pure pierian Spring,
„ An high Beheſt to thee I bring.
„ Thro' bright Apollo's Court fair Fame
„ Has ecchoed thy dear Henry's Name,
„ And told the ray-rob'd Deity
„ That a far-fam'd Society,
„ His favor'd ſons, decreed the Crown
„ Of Æſculapian-Laurel, won
„ By a bright Youth's unceaſing Toil,
„ From fair Dunkernia's ſea-beat Soil.

„ Tis well! repli'd the God,
(Olympus brightening at his placid Nod,)
„ Well have our ſons decreed
„ That gen'rous Youth the well-earn'd Meed!
„ Clio! to Earth deſcend,
„ And ſeek his much-lov'd Friend,
„ Bid him, in flowing Verſe reveal
„ Th'harmonic Deity's high will,
„ And tell our Sons, in well-tund Lays,
„ How juſtly they've diſpos'd the glorious Bays." —

— She ſaid. — When from the Neighb'ring Grove,
Soft-warbling votive Strains of Love,
My fair Emillia ſung;
Forgive, Dear Youth! th'enamour'd Bard,
Who, lisſteſs quite of what he heard,
Impatient, to her ſprung! —

May white-rob'd Candor ſtill attend
The Footſteps of my gentle Friend!
For Merit fair need but be known,
And Mankind will confirm the Crown.